DE MORBILLIS DISSERTATIO QUAM AD MEDICAM LAUREAM IN...

Georgius Obod

DE MORBILLIS

DISSERTATIO

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM

In Antiquissimo ac Celeberrimo

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE PROPONIT

GEORGEUS OBOD

DE RAGUSA

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

Primis usque ab incunabulis et praecipue quo tempore Medicinae in studio tota anima, totisque viribus operam navarim, tanto semper amore, tantaque veneratione hujus artis praestantissimos cultores prosequutus sum, ut nihil supra.

Mirabar enimvero immensam medicae artis, innumerumque argumentorum segetem, obstupebam dum in mentem revocarem primae aetatis tenebricosas ideas hisce in studiis tyrannico fere jure dominantes, animusque trepidabat dum perpendere studeret quot quantisque obruta difficultatibus ac quaque versus involuta Medicina se se suis primis cultoribus praeseferre necessario debuisset. Cum vero hisce postremis temporibus mihi innotesceret legibus academicis statutum esse de quodam rei medicae argumento disserendum, mihi quoque fas esse ad lauream rite adipiscendam vires in me sensim sensimque imminuere ac pene dixerim evanescere persensi, et tanta artis nostrae ope, innumerumque argumentorum copia me ita obrui ut forte nescirem quid impraesentiarum pro-

ferendum fore quod vobis, etsi benigne annuentibus, dignum videretur. Ast cum totus in eo fuissem ut quidquam pro viribus conscriberem, nutus Provinciae hujus Rectoris me alium in locum transtulit, ut cholera laborantes sub medici aetate provecti aegrotantisque directione curarem, cui lubenti animo obtemperavi tanto magis, cum jam persuasus sim quemcumque et praesertim medicum pro sua parte operam tota vi, totaque anima praestare debere, ubi maxima urgeat necessitas. Postremum hoc onus in causa praecipue fuit, cur quidquam ex variis auctorum operibus in unum tantummodo colligere de morbillis statuerem; quod si vestrae expectationi, Professores humanissimi, forsan non omnino satisfecerim, vestra tamen mihi faveat humanitas vestrumque patrocinium, ut, nisi scripto, voluntati saltem veniam tribuatis.

Morbilli, exanthema essentiale, primarium ac contagiosum constituunt, quod antecedere solent animi incongrua irritabilitas, tussis sicca, sternutatio, oculorum pruritus, rubedo, lacrymatio calida, aut et faucium dolor ac tandem febris; quarto circiter morbi die, interdum serius, plerumque quin symptomata decrescant, vel et cum istorum evidenti exacerbatione in faciei cute prius sub forma papularum puretula rubra apparent eminentia, mox vero in pectore, abdomine, totoque inde corpore sub macularum rubrarum, pulicum fere morsibus similium, vix

tamen perfecte circularem formam praeseferentium, variolis latiorum, plerumque confluentium, nonnihil supra cutem prominentium; octava circiter die, interdum tardius exsiccari ac per squamulas furfuraceas terminari observantur.

MORBILLORUM DIVISIO.

Morbilli ex febre sibi conjuncta potissimum divisionis momentum agnoscunt. Exanthema hoc inflammatoriae praecipue indoli favere consuescit, sed et gastricam non raro febrim, ac subinde nervosam sociam admittit; et illic sat benignam, hic vero malignam naturam praeseferre videtur. Orta hinc fuit morbillorum divisio in benignos, inflammatorios, gastricos, et typhoideos.

Morbilli simplices aut benigni, anorexia, tussi sicca, raucedine, sternutatione continua, nares emungendi necessitate, oculorum pruritu, rubore lucis intolerantia, lacrymatione et febre ingruunt, quae symptomata cum remissione plerumque matutina ad quartam usque diem perdurant. Hac die exanthema sub forma particularum prominentium rubrarum, coloris fere fructus rubi idaei, primum in facie, postea in pectore, ventre et reliquo corpore sine pruritu, et absque remissione satis sensili symptomatum stadii invasionis, in scenam prodit. Efflorescentia perdurat tres, quatuor, quinque, aut sex dies cum continua febre, tussi et non raro episthaxi, et

circa octavam, nonam, aut decimam diem antecedenti plerumque desquamatione furfuracea, evanescit.

In morbillis inflammatoriis caput dolet, inflammantur oculi, tument palpebrae, aeger tussi laborat, aut inani, aut cruda, dolore pectoris punctoria, decubitu impedito, dyspnea, somnolentia, et pavore in somno. Praecipua febris viget, cum frigore incipiens, et dein summo calore, siti, pulsu pleno, aut contracto et duro; exacerbationibus nocturnis, cordis palpitatione, haemorrhagiis, interdum vomitu et diarrhoea. Sub fine tertii nycthemeri interdum quinta, aut sexta die morbilli apparent. Tussis tamen in primis increscit, et non raro sudor inanis adest. Efflorescentiae stadium ad nonam, vel undecimam diem perdurare solet, velut in morbillis simplicibus, nisi febris symptomatibus insignita perseveret; quo in casu, sive convalescentia, sive transitus morbi in phthysim, aut alios morbos desinit.

Morbilli gastrici symptomatibus gastricae colluviei, aut bilis, vel et helminthiasi concomitantur. Frequenter sub gastrica constitutione exorti, febrim, quae ex hac nomen assumit, pro socia sibi eligunt, ac ejusdem legibus subjecti, illa ipsa symptomata, quae gastricas constituunt, offerre consuescunt. Ipsa quidem nervorum irritatio, quae ab exanthemate excitatur medicis quandoque non raro hoc in casu imponit, sed observator attentus in dominantem aegritudinem, in

illa, quae morbum praecesserunt, comitantur, et quae in aliis ab hoc ipso jam liberatis contigerunt, a falsis vera non difficulter separabit, ac frequenter in morbillis, si vel solum excipiatur exanthema, gastricam praeter febrim, nil morbi inveniet.

Morbilli thyphoidei praecedi solent tussi fere convulsiva, virium animique dejectione, interdum diu perseverantibus. Tandem frigus ingruit superveniente calore, cum reliquis consuetis morbillorum futurorum signis. Adsunt insuper cephalalgia, vertigo, vigilia aut sopor, delirium, cardialgia, vomitus aut diarrhoea, dissenteria, tenesmus, effrenae, hemorrhagiae, tremores tendinum, aliaque febris thyphoideae signa. Exanthema nunc citius, nunc ocius, interdum praeviis convulsionibus uno impetu per universum corpus, coloris plerumque fusci, vel atri, semper cum interjectis peticulis erumpit, vel aeger in eruptione perit. Efflorescentia hinc per paucas tantummodo horas perdurata, et praepostere fugata singulorum symptomatum augmentum aphonia, sphinterum paresim, gangraenam variarum partium iterum. Non omnes qui desquamationis periodum attigerunt periculo carent. Nam observatum fuit, diuturnaque compertum experientia saepissime aegrotos hos ex phthisi pulmonum, tabe, aut diarrhoea serius ocius periisse.

CADAVERUM SECTIONES.

Observantur eadem prorsus phaenomena, quae post febres catharrales, graves in necroscopia nobis occurrunt; in primis inflammatio tracheae ultra bifurcationem extensa, materia puriformis internam bronchiorum superficiem tegens, serus in pectoris cavo effusus, pulmones sanguine turgentes, et aliquando roseo colore obducti.

CAUSAE PROEGUMENAE.

Quamvis aetas infantilis, et juvenilis, atque constitutio irritabilis praesertim ad morbillos praedisponant, tamen hoc exanthema nec proli sive in utero, sive in lucem vix editae, nec senibus hominibusque robustis parcit. Valde pauci morbillis immunes sunt.

CAUSA EXCITANS.

Causa morbillos excitans a contagio proprio originem ducit, quod ex aegrotante in sanum ad certas distantias, favente tum aere, tum necessaria hoc ad virus suscipiendum dispositione, transfertur. Contagium hoc sui generis est: summam affinitatem ostendit cum membrana mucosa tam narium ac faucium, quam asperae arteriae ac bronchiorum.

CAUSA PROXIMA.

Cogitat Joseph Frank morbillos esse morbum specificum catarrhalem, non alienum a graviori bronchitide.

DIAGNOSIS.

Animi inconsueta irritabilitas accessiones comitari solita, nullibi tamen adeo constans, atque evidens est, ac in morbillis. Aegri in primis morosi, atque iracundi fiunt et a minimo animi motu faciem nunc rugore tinctam, nunc palescentem ostendunt. Affectio catharralis ocius, vel serius morbillos constanter comitatur. Tussis morbillosa (gravissimo casu excepto) id peculiare habet quod per paroxysmos accidat, et plerumque circa septimum diem remittat. Quo fortior ea est, eo minus lacrymantur oculi, et eo rarior est sternutatio. Vomitus et diarrhoea quibus nonnullae morbillorum epidemiae stipantur, affectionem catarrhalem aliquando membrana mucosa tubi intestinalis serpere testantur.

Vomitum tantummodo ad quartum morbi diem contingere Sydenham docuit; sed eum in cunctis morbillorum stadiis perseverasse observavit Joseph Frank. Morbillos quoque cum symptomatibus cholerae observavit idem auctor in matrona Vilnensi. Nonnullae morbillorum epidemiae constanter diarrhoeam sociam habuerunt,

ut videre est *Journal de Médecine* anni 1790, non secus ac ex Riverio, atque Etmullero qui loquitur de alvo cruenta cum torminibus. Febris morbillosa peculiarem dispositionem ad hemorrhagias in primis ad epistaxim inter quartam, vel sextam diem ostendit, et catamenia facili negotio exanthemati superveniunt, et non raro pulsus aliquantisper irregulares. In febris augmento somnolentia potius quam delirium aliquando incongruae medellae effectus est; urina saepissime turbulenta est, albescens et interdum ptyalismus adest. Putat Villan morbillos citius in hominibus cute delicata instructis erumpere. Hoc tempore exanthema evidenter in genis, in mento, in lateribus colli efflorescere incipit atque interdum in palato, uvula, tonsillis et lingua: pauca et sparsa morbillorum stygmata in reliquis corporis partibus erumpunt. Maxima morbillorum pars in dorso et facie patet, perraro vultus, ita tumet ut palpebrae inde claudantur. Partes perspirationi praesertim subditae, videlicet pudendae, poplites pauciores morbillos ostendunt. Exanthema ab initio punctum rubeum circulare, saepissime nodi instar prominens tactui obvium, coloris obscurioris refert. Ex plurimis tandem punctis, maculae semilunares confluentes efformantur, inter quas cutis nunc normalis, nunc punctis solitariis tegitur. Violentia febris, aetas admodum tenera aut provecta consuetae exanthematis formae obstat, et saepe papulas in genis, in dorso

manuum et vesiculas miliares in nucha, pectore et brachiis promovent. Morbilli praesertim in climatibus calidis interdum colorem violaceum vel nigrum induunt. Generatim sexto morbi die, quo jam pallescere incipiunt, in facie maxime in reliquo corpore florescere solent. Die nona solum stygmata perpessi exanthematis relinquuntur, quae decima undecima die plerumque desquamatione furfuracea, interdum cum pruritu et relictis maculis sublividis madefacta cute magis conspicuis evanescunt.

QUOMODO MORBILLI AB ALIIS EXANTHEMATIBUS DISTINGUANTUR.

Grassantibus morbillis in juvenibus hunc morbum nondum passis, quaelibet febris catarrhalis, in primis ea, quae symptomata corizae praesefert, ad quartam usque morbi diem dubium latentis exanthematis morbillosi tantummodo cernendum posteriori observatione ostendit.

Peticulae purpuratae symptomata gastrica socia habent, sed morbilli symptomatibus catarrhi insigniuntur; peticulae perraro faciem occupant, morbilli primum et praecipue faciem invadunt; peticulae vix unquam in maculas confluunt morbilli maculas habent: peticulae tempore incerto efflorescunt et fugaces sunt; morbilli contra regulari modo procedunt: primae vix unquam desquamantur sed in morbillis saepissime desquamatio adest.

In miliaribus rubris sudor inter praecipua symptomata prodroma oritur; in morbillis sudor nequaquam inter symptomata prodroma enumeratur. Miliaria rubra nullo certo die apparent, sed morbillorum exanthema quarto die accidit: miliaria rubra perraro in facie cernuntur: in miliaribus papulae magnitudinem lentis excedunt; morbilli puncta vel maculas ostendunt.

Differunt morbilli ab Urticaria, nam in urticaria eruptio cum magno pruritu, in morbillis vero sine pruritu accidit. Urticariae eruptio primo, secundo aut raro tertio die apparet; morbillorum eruptio plerumque 4.° die observatur: in urticaria maculae late plerumque in circumferentia elevatae, et in medio depressae sunt; in morbillis puncta prominentia aut maculas ex iis compositas habent: in urticaria exanthema fugax est sed in morbillis constans: in urticaria papulosa maculae ex frigore magis manifestae fiunt, et in morbillis sub frigore facile evanescunt.

Morbilli differunt a scarlatina, nam in hac si tussis adsit in invasionis stadio, brevis et sicca est, cum in morbillis in stadio invasionis diuturna fiat cum sputo crudo: in scarlatina si etiam oculi rubri sunt lucem tamen ferunt et nunquam lacrymantur; sed in morbillis lucis intolerantia et lacrymato fere constans est; eruptio in scarlatina 2.ª die fit, sed in morbillis plerumque 4.ª

in scarlatina exanthema praeter puncta, maculae ostendunt primum figurae rotundae speciem, postea ita confluentes sunt, ut universam cutem tegant; morbilli puncta circularia ostendunt solitaria vel congregata, maculas semilunares gignentia cum cute intermedia normali: scarlatina nisi miliaris sit vel pustulosa cutem planam ostendit, morbilli fere semper super cutim prominent: scarlatina laete rubet, morbilli coloris fructus rubi idaei cernuntur: in scarlatina desquamatio evidentissima est, et in morbillis desquamatio furfuracea minoris momenti est; vel morbilli typhoidei, exceptis a nonnullis epidemiis de quibus legendi sunt Huxam et multi alii, ab initio morbi cum diathesi inflammatoria complicantur, aut eam in curriculo aegritudinis induunt.

PROGNOSIS.

Constat observationibus Percival ex 3807 mortuis spatio sex annorum, 91 morbillis fuisse extinctos. Fatente Watjon uno anno unus inter decem, altero unus inter tres periit. Blak morbillorum lethum ad illum variolarum ut 1 ad 10 vel 12 se habere contendit. Asserit Joseph Frank morbillos, exceptis typhoideis, dummodo ad convalescentiae finem si rite cessentur, haud multo periculo stipari. Morbilli tamen ubi typhoideam indolem praeseferant valde periculosi et lethales esse solent.

Ita gravius laborare solent morbillis infantes annum nec dum attingentes, praesertim in dentitione, adulti liquoribus fermentatis indulgentes, gravidae et puerperae. Morbilli aestivi, mitiores hyemalibus esse solent. Observavit Hoffmann in morbillis malignis nullam diem tutam esse, ad nonam praesertim malum omne ostendere.

Symptomata morbillorum prodroma quo diutius durant, et quo vehementius urgent eo gravior expectandus est morbus, ut constat observationibus Heberden et Willan. Praeceps exanthematis eruptio mali hominis est, quod saepissime observatum fuit in variolis et peticulis. Spasmi, convulsiones antecedentes in primis sub dentitione magnum periculum ostendunt: idem est de morbillorum colore violaceo, vel nigro, de praesentia peticularum, retropulsione exanthematis paulo post non redeuntis; alias enim animi deliquia, delirium, viscerum inflammationes, praesertim bronchitis. Modica diarrhoea eruptioni non obstat et inter nonum et decimum diem solutionis videtur et est. Sic epistaxis aut catamenia justos limites non excedentia prosunt: respiratio crebra et anxia sine aliis, laesi pulmonis symptomatibus timenda non est. Optima signa sunt somnus diu protractus, sudor universalis, tussis cum sputo concocto et urina cum hypostasi puriformi.

MORBI SUPERVENIENTES MORBILLIS.

Absoluto morbillorum curriculo, praecipue a frigoris actione, a calefacientium abusu, non raro nova febris cum lateris dolore punctorio, respiratione difficili, pulsu duro, genarum rubore vel livore corripit aegrum, quo tenerior est aetas, facile paucorum dierum spatio jugulatura. Alias tandem symptomata lente decurrunt instar febris intermittentis et cum eodem fere periculo atque hydrothorace superveniente. Phthisis pulmonaris quoque oritur in iis praesertim qui, jam ante morbillorum eruptionem, tuberculis aegrotabant.

Singula haec mala, haud raro crisim in variis eruptionibus cutanei agnoscunt. Hujusmodi sunt furunculi ab initio parum inflammati lividi et dein materiam effundentes, et difficiliter curandi.

MORBILLORUM CURA.

Juxta observationes Hoffmann, Stoll, Tissot emetica et cathartica administrantur, quae tamen pharmaca a tot aliis jure ac merito non satis rationalia judicantur. Morbilli simplices juxta methodum generalem antiphlogisticam curantur. Aeger tuendus est a nimia luce; ut tussis mitigetur, succi vegetabiles accescentes vitentur et potius substantiae mucilaginosae pro potu et tinctu administrentur. Venae sectio in quovis morbi stadio et invasionis non excepto in morbillis

inflammatoriis locum habere summa cum utilitate potest, nec venae sectioni obstant epistaxis, catamenia et diarrhoea: indicatur praesertim si cephalaea gravis et sudor faucium adsit: in infantibus venae sectionis loco Hirudines thoraci admoveantur. Si virium vero jactura usum venae sectionis impediat, infusio digitalis cum nitro prodest; nisi vera complicatio gastrica adsit, eccoprotica raro ante nonum morbi diem indicantur. Si mucosa materies speciatim in infantibus fauces et pectus occupet, oblata conditione phlogistica, vomitus felici omine promovetur. Sub morbi finem levia diaphoretica praescribantur, et si haec non sufficiant, et vehemens tussis et assidua inquietudo somnum impediant, ad narcotica et praesertim hyoscyamum confugiendum est. Attamen Sydenham, Borsieri, Tissot etc. probarunt narcotica potissimum in tenera aetate et in primis morbi stadiis, excepto fortasse eo invasionis, in hystericis periculosa esse. Possumus nihilominus ad morphinam mucilaginosis adjunctam prudentiori consilio confugere. Curatio morbillorum typhoideae indolis, inflammatione absente, nisi summa dyspnoea aut pectoris oppressio obstent, infusiones radicis Aristolochiae et Serpentariae Virginianae administrantur. Haemorrhagiae vitae periculum minitantes praeter remedia localia tincturam aromaticam interdum cum opio mixtam postulant: accida vero mineralia simplicia ob tussim exulet.

CURA MORBORUM MORBILLIS SUPERVENIENTIUM.

Simptomata peripneumoniae in convalescentia ut effectus retropulsionis, venae sectionem, hyrudines, cucurbitales scarificantes, et si vires valde dejectae sint, sinapis emplastra, vesicatoria, pedum balnea cum sinapi, frictiones cutis postulant. Vesicatoria quoque praesertim in repentina morbillorum retentione voto satisfaciunt. Praesentibus signis pthisis pulmonaris cum febre intermittente cavendum est ne praepostere ad corticem peruvianam confugiamus. Levamen potius a mucilaginosis, a digitali purpurea, lacte, lichene islandico, radice polygalae, ipecaquanae cum opio expectandum est: In convalescentia utiliter ut possumus remediis stomachicis amaris ferri preparatis, acidis mineralibus, victu nutrient, aere puro, modicoque corporis exercitio.

MORBILLORUM INSITIO.

Insitio morbillorum primum ab Home ope sanguinis aut lacrymarum tentata, insuper a Illacro, Bruserio et Vogel accuratius descripta fuit, et nuperime a Locatelli sive magno tamen successu adhibita, aliquam tamen meretur observationem.

Debemus revera Home insitionem morbillorum in bracchiis institutam absque ulla praeparatio-

ne ope gossipii sanguine tincti ex aegro morbilloso sumpto. Home sauciabat cutim inter maculas ubi eae numerosae erant, atque effectus voto respondit.

Vogel, Percival, Monrò, Tissot morbillorum quoque insitionem secuti sunt; contra Cullen, Girtanner, Rosestein huic insitioni adversati fuerunt. Alii in epidemia Gottingensi vario modo experimenta Home repetere non dubitarunt et quinque fuerunt infantes experimento subiecti qui nec febre, nec eruptione laborarunt. Hinc Monfalcon et quidam alter inutilitatem insitionis morbillosae probarunt. Demum Haris, Frigeri et Speranza, Home experimenta utilia probarunt.

Optandum est vana et repetita experimenta voto satisfacere posse. Utilia esse possunt hujusmodi experimenta ubi velimus considerare gravissimas et lethales morbillorum epidemias non semel grassatas ubique fuisse. In Orphanotrophio e. g. Mediolanesi plurimi qui hyeme anni 1789 — 90 morbillis correpti fuerunt, in scorbutum inciderunt vere superveniente: idem Vilnae post morbillos anni 1811 — 12 in primis apud judeos observavit Joseph Frank, et lethales insuper morbillos cum peticulis complicatos Federigo anno 1801 observavit Venetiis, praetermittendo alias epidemias fatalis exitus.

Talia ego describebam, quia ob tempus et circumstantias non potui scribere argumentum quod mihi valde placuisset.

THESES DEFENDENDAE

I.

Cholera-morbus novum Italis malum.

II.

Medicus, potius quam eruditione, philosophia imbutus sit oportet.

III.

Peregrinatio, ad constituendum perfectum medicum necessaria.

IV.

Experimenta omnia ad vitam neonati extra uterum demonstrandam, non semper voto medico respondent.

V.

Venenum in corpore inventum non semper veneficium demonstrat.

VI.

In contagio negligere salutem publicam, crimen est.

VII.

Medicus gloriari debet de fiducia publica, et nunquam prodere eam in qualecunque circumstantia.

VIII.

Homines probi et probatae famae praeesse debent educationi medicae.

IX.

Vita per stimulos evolvitur.

X.

Studium phrenologicum ad materialismum non ducit.

XI.

Phthisis ulcerosa incurabilis.

XII.

Studium physiologicum necessarium ad philosophiae progressum.